



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CONGREGATIONIS A MARIA BEATA MARIA VIRGO CONSOLATRIX PRINCIPALIS PATRONA,**  
**ATQUE S. IGNATIUS A LOYOLA PATRONUS SECUNDARIUS**  
**CONGREGATIONIS SORORUM A MARIA SS. MA CONSOLATRICE CONFIRMATUR** Ad perpetuam rei memoriam. –  
Congregationis a Maria SS. Consolatrice Sorores inde ab initio suae institutionis amorem fervidum publicumque sunt  
testatae honorem erga Christi Redemptoris matrem Mariam et sanctum Ignatium de Loyola; hisce tamen praesertim  
annis summa cum fide ac pietate eos venerantur. Probatum istum religionis studium Sacra Congregatio pro Sacramentis  
et Cultu Divino libenter excepit, atque eo mota consilio, ut istius consortio sodales ad certiores prosperitatem  
adducerentur copiosiusque auxilium et praesidium de caelis consequerentur, electionem Beatissimae Virginis Mariae  
Consolatrix in principalem apud Deum Patronam, atque Sanctum Ignatium de Loyola presbyterum in secundarium apud  
Deum Patronum eiusdem Congregationis rite approbavit. Hanc laudabilem electionem, postquam memorata Sacra  
Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino Nos certiores fecit maxime profuturam esse tum fidei confirmationi tum  
pietatis inflammationi, Nos attentis oculis perspeximus, atque Apostolica Nostra potestate Beatissimam Virginem Mariam  
Consolatricem principalem apud Deum Patronam atque Sanctum Ignatium de Loyola presbyterum secundarium apud  
Deum Patronum Congregationis Sororum a Maria Sanctissima Consolatrice perlibenter confirmamus, atque omnia simul  
concedimus iure et privilegia liturgica illuc spectantia, ad regulas nempe Instructionis eiusdem Sacrae Congregationis  
«de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30. Contrariis quibusvis nullo  
pacto obstantibus. Ceterum praecipimus ut hae Litterae Nostrae accuratissime observentur, suosque effectus plenos  
habeant in praesens posterumque tempus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Junii, anno millesimo nonagesimo octagesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.* CAROLUS Card. CONFALONIERI,  
*Sacri Collegii Decanus* © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana

---